MOTIVOS

EN EL PROCESSO

Pedro Faxol.

IN Proceſſu, & cauſa in Curia Domini Iuſtitiæ Aragonum, habito, & actitato, intitulado *Proceſſus Petri Faxol, ſuper Criminali*. Exiſtente dicto proceſſu, & cauſa in deliberatione ſuper diffinitiua ſententia. Tres Domini Locumtenentes admodum Illuſtris Domini Don Martini Baptiſta de Lanuça Militis Maieſtatis Domini noſtri Regis Cōſiliarij, ac Iuſtitiæ Aragonum fuerunt voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiare, & abſoluere Ioannam Lopez de Bacete, primus Petri Hieronymi Paſſamar in pręſenti proceſſu accuſatam a contentis in petitione contra eam oblata neutram partium, in expenſis condemnando cætera ſupplicata locum non habere, attentis contentis.

VNVS ex dictis tribus Dominis Locumtenentibus dicti Domini Iuſtitiæ Aragonum fuit ex motiuis ſequētibus ex eo, & aliàs abſoluitur prædicta Ioanna Lopez de Bacete in præſenti proceſſu accuſata, a contentis in petitione contra eam oblata, quoniã non conſtat de aliqua vſura, nec de contractu aliquo facto in fraudem vſurarum eo modo quo conſtare debet ad incurrendam pœnam Forij deſiderantes de vſuris. Illud enim in iure certiſsimũ eſt, & ex dicti Fori diſpoſitione colligitur ad condemnationẽ contractus vſurarij plenam probationem, requiri. Namq; ex inditijs argumẽtis, aut præſumptionibus reſultat ſufficiens non eſt ad condemnationem, niſi cōtra disfamatos de tali crimine vſurarum, vnde cum in præſenti proceſſu apertiſsime appareat acuſatam in eodem, nec talis delicti macula eſſe late factam, nec de eodem, aut alijs ſimili-

bus etiam in genere suspectam, aut diffamatam, nec accusatam indubitasse imo constet de legalitate acusatę, ac bona fama necessario recurrendum erit ad rectam sententiam proferendam, ad probationes, & videndum an legitime constet de delicto, necne adeo, quod nec probotiones minus legitime cum inditijs, aut præsumptionibus aliunde etiam ex processu, & contra carta resultantibus coniungende sint, vt probent quęmadmodum, nec plures testes singulares coniungerentur, ad probandum vbi non quid in genere, sed in spetie, vt in proposito probandũ esset. Omnis igitur intentio accusantis, & omne pōdus probationis in duobus testibus consistit, deponētibus super quarto, & quinto articulis petitionis fratre videlicet Francisco de Omiste, & Doctore Arias de Reynoso, asserētibus se audiuisse à dicta Ioanna Lopez accusata, quod dictus Petrus Faxol redditis rationibus, eisque transactis debitor remanebat eidem in quadraginta mille solidis; quo solo sic se habente, quamuis post modum constaret de obligatione septuaginta mille solidorum, ad contractum vsurarium inducendum non conuincebat per necesse, quoniam potuerunt postea rationis transactæ, & resoltutæ melius computari, & eis melius calculatis summam præfatam debiti septuaginta mille solidorum efficere maxime non constito realiter de reductione rationum cum partibus dati, & recepti quibus debitum quadraginta mille solidorum, tãtum posse iustificari, sed solum de cõfessione mulieris ignare asserentis ad licitum in ea quãtitate debitũ dicti Faxol fuisse resolutũ. Qua propter addit alter ex testibꝰ frater videlicet Omiste, se scire ex auditu etiam accusate, quod propter impossibilitatem Petri Faxol comodiorisque eius solutionis gratia fuerat tractatum quod se obligaret in septuaginta mille solidis, non solum pro capitali, verum, & pro alimentis quæ victui dictę accusatę deseruire dobebant, prout re vera se obligasse apparet. Item, & alter testis Doctor Arias de Reynoso attestatur, quod ad prædictum effectum, & securitatem non solum capitalis, sed & alimentorum interesse, & aliarum rerum in quibus ambo conuenerant intra tēpus octo annorum se obligauit dictus Petrus Faxol in dicta quantitate septuaginta mille solidorum, inclusis duobus chirographis manu prædicti Faxol, confectis quantitatis viginti & quatuor mille solidorum Iaccensium. Quorũ dicta si attente considerentur præter

quam

quam quod singularia sunt ad vsuram, non concludunt omnes, namque asserunt non solum pro capitalia, sed & pro alimentis, & alijs rebus factam fuisse obligationem septuaginta mille solidorũ; ergo non pro augmento capitalis, nec dilatione solutionis, nec fatentur testes ea alimenta, quasi in augmentum capitalis fuisse præstanda obdillatatã solutionem eiusdem quod omnino desiderabãtur, vt concluderent ad vsuram, maximè cum aliunde, vt ex alia causa eadem alimenta deberi potuissent dictæ Ioannæ Lopez accusatę, appareantque in processu quam plures quibus ad ea præstanda dictus Petrus Faxol teneri potuisset. Ergo non concludunt testes ad vsurã. Ad hæc alter testis addit ad securitatem capitalis alimentorum interesse, & aliarum rerum se obligasse Faxol in septuaginta mille solidis, inclusis duobus albaranis viginti, & quatuor mille solidorum Iaccentium; ergo testes nõ concludunt ad vsuram, si enim adest, aut ad esse post secundum testis dictum causa vero similis, & iuxta cui obligatio addici potuit ipsi capituli, sint vsura sto quod capitali dici potuisset non est quod ad inducenda tam grauem famosamque pœnam, & delictum factum fuisse contractum in fraudem vsurarum iudicemus. Hijs accedit in processu apparere dictam Ioannam Lopez de Bacete in domo eiusdem Faxol per multos annos cohabitasse vna cum Madalena Verdoz eius consobrina, & vxori dicti Faxol, & leuande domus gratia se, & sua ei obtullisse, eademq, ab eodem consulto propositam fuisse caupone cerarie, cui insistebat eius authoritate, & industria, non solum patrimoniũ Faxol multiplicatum fuisse apparet, verum, & eius fama, & bonũ nomen in mercantia de qua tractabat incrementum accepisse cõstat. Insuper bona propria dicte accussate, & bona eius cõsobrinę & Reuerendi Hieronymi Bacete eius fratris, quorum hæres relicta erat penes dictũ Petrũ Faxol extare in confusse sine ratione, & calculo ipsamque accusatam veluti viduam, & solam statuque honorificam non habere aliquid aliud vnde viuere posit, vt merito, sto, quod testes concluderent, & ratione capitalis, & ratione alimentorum, & dictorum duorum chirographum potuissent iure optimo, sibi deberi prædicti septuaginta mille solidi Iaccẽsis, & eos sibi dari stipulari, sine metu criminis vsurarũ. Nec credendũ est Petrum Faxol, quem constat per factum contractum desiderasse, eidemque se se sponte obtulisse à muliere fragile deceptũ existi

 mari

mari quam constat tot obsequia, & benefitia plusquam materna prædicto Petro Faxol, eiusque domui contulisse. Vltimo & quod magis est vbi constaret legitime propter inter vssurarium medij temporis capitali incrementum accepisse in triginta mille solidis distributis prout in contracarta continetur, adhuc tamen ratione damni emergentis, & lucri cessantis iure optimo præcipi potuisse existimamus. Quambis enim in foro exteriori dubitabile sit an licite id percipi potuisset alijs posse, alijs vero non posse affirmantibus, at in foro interiore, & conscientiæ cui de foro potuis adherendum fore existimamus, frequentiori Doctorum sententia receptum est, posse dummodo regionis consuetudinem, & consuetum lucrum non excedat, vnde cum in proposito probatum sit accusatam, nec habere, nec habuisse, tunc temporis aliud vnde viuere posset, nisi solum prędictos quadraginta mille solidos potuisseq; cum eis tot annuos redditus comparare, quibus incrementum ipsum per singulos annos distributum percipere potuisse, & ad viuendum, fit inde ne cogeretur cum status sui dedecore mendicare contractum hunc licitum Fore censendum, non vero illicitum, nec reprobatum maximè attenta qualitate personæ acusate, & legalitate eiusdem, vt hijs, & alijs attentis eadem Foræ absoluẽdam existimamus, & aliàs attentis contentis.

ALII verò duo dicti Domini Iustitiæ Aragonum Locumtenentes, ex dictis tribus Dominis Locũtenentibus fuerunt ex motiuis sequentibus, tantum ex eo autem absoluendam censemus dictam Ioanam Lopez Bacete, quoniam ex deductis, & probatis in processu per Petrum Faxol actorem, non constant legitimè contractum, de quo in præsentiarũ controuertitur Foræ illicitum, vel de laue vssuraria suspectum; siquidem dicta testium pro eius parte productorum sedulo, ac diligenter, vt decet perpensa præter quã quod interse parum consona apparent per necesse, ac præcissè non conuincunt Petrum Faxol, tantum extitisse debitorem Ioannam Lopez Bacete in quantitate quadraginta mille solidorũ Iaccensiũ, & quod propter retardatam eius quantitatis solutionem, ac vt commodius Petrum Faxol consultum foret in eis præstatione super additam fuisse sumam triginta mille solidorum concesso ab ipso pro his omnibus in fauorem dictæ Ioannæ Lopez, instrumento Comandæ, quantitatis septuaginta mille solidorum, id in quam quod actoris asilum, ac fundamentum erat minime ex deposi-

positionibus testium legitime, ac concludenter conuincitur, nec habendam esse arbitramur rationem aliquã coniecturarũ quæ ex tenore contracartæ in processu exhibitę perpenduntur ex aduerso pro conuincendo contractu isto, etenim sique coniecture elli-ci, ex dicto instrumẽto valerẽt ęquidẽ fragiles, ac leuissime forẽt, quas in ocurrenti casu parui habendas esse haut quaquã dubitandum est, cum non aduersus solutum fœnerari lis proponatur, sed contra mulierem optimũ quidem nominis vitæ probatissimę, ac huius, & cuiusq; alterius criminis suspectione prorsus alienã maxime, cum ex deductis, & probatis per eam constet quod vere, & aperte rei adderat causa legitima rationabilis, ac iusta qua Petrus Faxol moueri potuerit ad se licitè obligandum dictæ Ioannæ Lopez Bacete, in quantitate non solum quadraginta millia, sed etiam septuaginta millia solidorum, quod sufficit, vt fateri cogamur ex ea potius quam ex alià tam illicita, & improbata causa contractũ processisse, & aliàs atentis contentis.

ALII vero duo dicti Domini Iustitiæ Aragonum Locumtenẽtes fuerunt voti, & opinionis, quod debent pronuntiare, & declarare instrumẽtũ Comandæ exhibitum in præsenti processu, quantitatis septuaginta mille solidorum Iaccensium concessum per Petrum Faxol mercatorẽ, habitatorẽ Ciuitatis Cæsaraugustæ, in fauorem Ioannã Lopez Bacete, receptũ Cæsarauguste per Franciscũ Morel Notariũ de numero dictæ Ciuitatis, sub die tertio mensis Ianuarij anni millesimo sexcẽtesimo septimo, fore, & esse vsurarũ, & in fraudem vsurarũ cõceptum nulliusq; fore efficatie, & valoris prædictãq; Ioannã Bacete vti non posse in iuditio, nec extra dicto instrumento in præiuditium dicti Petri Faxol, & cum his cõdẽnari prędictã Ioannã Bacete, primus Petri Hieronymi passamar, & Ioannis Lop. Perez procurat, cum effectu ad restituendũ dandum, & soluẽdum prædicto Petro Faxol primus M. Io. de Viu, & M. de la Rosada Procur. summã, & quantitatẽ triginta quinque mille, & decẽ solidorum Iaccẽsium, & etiam ad restitutionẽ eidem Petro Faxol chirographorum quantitatis viginti quatuor mille solidorum Iaccensium, mẽtionatorum in petitione ab eo in præsenti processu oblata, ex causa prædictæ vssurariæ Comãdæ præceptorum, & in expensis taxandis cætera supplicata, locum nõ habere, attẽtis contẽtis, ex eo præsertim fit declaratio, & cõdẽnatio, de qua in sententia quoniã ex testibus in processu producti, omni exce-

exceptione maiori constat aperte Petrum Faxol post liquidatiōnē rationum inter eundemmet,& Ioannam Lopez Bacete concurrentium solum debitorē esse dictę Ioānæ Lopez in quantitate quadraginta mille solidorum,id quod ex instrumēto cōtracartæ satis etiam colligi videtur,ita quod his simul iunctis probationibus testium,scilicet,& instrumētali clara eius rei fit probatio, & ostēsio, & ex testibus etiam ellicitur clare incrementum quantitatis vsque ad summā septuaginta mille solidorum Iaccensium ob dilatam solutionem additum fuisse quippe Petrus Faxol tēpore cōcesionis instrumenti Comandæ non habuit vires,nec posibilitatē soluēdi illā quantitatem quadraginta mille solidorum. Id quod etiam recte perpensis conditionibus,& pactis instrumenti contracarte,ex eius verbis,non obscure deducitur omnia , ergo vero consonant vnde cum instrumentum illud depositi lauem pacti vsurarij contineat,sicq; in fraudem vsurarum conceptum omnem quantitatē principalem debiti iuxta Forales dispositiones perdit, & ammitit creditrix Ioanna Lopez Bacete,& ex eadem causa debet restituere Petro Faxol aliam quantitate eidē,& in vim Comandæ præfate ab eodē Petro Faxol solutam,& similiter tenetur ad restitutionem chirographorū de quibus in petitione oblata in processu fit merito,quoniā ex deductis in processu ellicitur illorū quantitatē fore,& esse inclusam in quantitate Comandæ prædictæ vsurarie, cuius concesio nullo quęsito calore alimentationis Ioannæ Lopez Bacete,nec alijs quouis iustificari potest,& sic merito fit condēnatio,& pronuntiatur,pro vt in sententia ex prædictis, & aliàs attentis , contentis.

Signum ✠ mei Antonij de Soria in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, authoritateq; Regia per totum Regnum Aragonum publici Notarij, ac regentis principalis vnius ex Scribanijs Curiæ Domini Iustitiæ Aragonū, & eius consilij Secretarij , qui huiusmodi vota , & motiua à originali libro dicti consilij de anno millesimo sexcentesimo decimo nono in quo continuata existunt , manu aliena extraxi , & cum suis originalibus bene , & fideliter comprobaui , in quoqum fidem, & testimoniū præmissorum meo solito quo artis Notariæ vtor signo signaui.